



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De odore magistri Petri Cantoris, cap. 48.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**M**agister Petrus Cantor Parisiensis verbo,\* vo- \*al. vita  
to, & exemplo plures ædificauerat. Hic in\* Põ- \*al. fonte  
tenella domo ordinis nostri factus est noui- nella  
tius, & infra annum probationis defunctus est, & in  
capitulo sepultus; cumque postea, necessitate edificio-  
rum, corpus eius esset transferendum, aperto sepul-  
chro, tam magnus & tam suauissimus ex illo odor ef-  
ferbuit, vt nares omnium illius fragrantia reficeretur.  
Odor ille signum erat eximie eius doctrine, cuius  
mercedem receperat in cælo. Quantum verò gratiæ  
quantumve gloriæ doctores, siue prædicatores, post  
hanc vitã mereantur, subsequens sermo declarat.

**S**acerdoti cuidam ordinis Præmonstratensis in  
hac, quæ modò fuit, expeditione præceptum e-  
rat contra Saracenos crucem prædicare: cumque  
in ipsa prædicatione corporali molestia tactus homi-  
nem deponeret; cuidam socio suo post mortem appa-  
ruit: quæ eum ille interrogasset, quomodo haberet, vel si  
aliquid molestiæ moriens pertulisset. Respondit: Vide-  
batur mihi pœna mea satis longa, cumque morerer,  
non nisi demones circa me vidi, qui animam egre-  
dientem cœperunt abducere; ex quibus vnus dixit:  
Nunquam bene seruasti professionem tuam, neque  
obedientiam Abbati tuo promissam. Et subiunxit  
statim alter: Nunquam prædicasti sincerè Dominum  
tuum, id est gratis, & intellexi statim, accusante con-  
scientia, quia vterque verum dixisset: cumque in hunc  
modum diuersi diuersa contra me proponerent, & e-  
go iam positus fuisset in desperatione, eo quòd non  
esset qui pro me responderet, maximè cum circum-  
spiciens, neque beatam Dei genitricem, neque aliquem  
angelorum, siue aliorum Sanctorum vidissem, ecce  
Christus adueniens manu tenuit me, dicens; Sequere  
me, quia tu prædicasti me. Mox turba omnis spiri-  
tuum illorum immundorum disparuit ad instar fumi,  
& ego Christum secutus sum ad gloriam, nullam e-  
nim aliam pœnam, excepto illo terrore, passus sum.